nonnihil boni in ipsa esse vulgi fortuna perpendo. Neque enim
sapientum quisquam exul inops ignominiosusque
esse malit potius quam pollens opibus hono
re reverendus potentia validus in sua perma
nens urbe florere. Sic enim clarius testati
usque sapientiae tractatur officium. Cum in con
tingentes populos regentium quodammodo beati
tudo transfunditur, cum praesertim carcer, lex
ceteraque legalium tormenta poenarum pernicio
sis potius civibus propter quos etiam constituta sunt
debeantur. Cur haec igitur versa vice mutentur
scelerumque supplicia bonos premant, praemia
virtutum mali rapiant, vehementer admiror,
quaeque tam iniustae confusionis ratio videatur
ex te scire desidero. Minus etenim mirarer
si misceri omnia fortuitis casibus crederem.
Nunc stuporem meum deus rector exaggerat.
Qui cum saepe bonis iucunda, malis aspera con
traque bonis dura tribuat, malis optata
concedat, nisi causa deprehenditur, quid est
quod a fortuitis casibus differre videatur? Nec
mirum inquit si quid ordinis ignorata ratio
ne temerarium confusumque credatur. Sed tu
quamvis causam tantae dispositionis ignores,
tamen quoniam bonus mundum rector temperat.